



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Petri De Dusburg, Ordinis Teutonici Sacerdotis, Chronicon
Prussiae**

Petrus <de Dusburg>

Francofurti ; Lipsiae ; Regiom. Pruss., 1679

Praefatio ad Institutionem Ordinis Domus Teutonicae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11850

jam à memoria Hominum nunc viventium sit elapsum, & sine Deo nil facere possum.

Ideò te deprecor bone JESU in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, & revelas mysteria non solum futura, verum & præsentia & præterita; Illumina Spiritus tui gratiâ intellectum meum, & da mihi os & sapientiam ad complendum breviter opus istud, ut omnes, qui Signa tua magna & mirabilia fortia in eo contenta audierint, in te sperent, te adorent, te glorificent, & collaudent, quod tu, ex quo omnia, per quem omnia, in quo omnia præstare digneris, qui vivis & regnas in secula seculorum, Amen &c.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Ex his liquidò apparet, Dusburgensem nullo antiquiore Chronico esse usum; id circo ex his dubitari fortasse non immeritò posset, de scriptis illis Jaroslai Canonici Plocensis, & Christiani primi Episcopi Prussiæ, utrum illa sint genuina. Procul dubio etiam Dusburgensis Historiam Prussicam, in Prussia, scripturus, diligenter antiquiora scripta inquisivit, & si tum talia extitissent, certè Ordinis Teutonici fratres ea ex omnibus scriniis conquisivissent, præsertim cum ea, quæ Jaraslaus & Christianus scripsisse dicuntur, plurima de Idololatria & crudelitate Veterum Prussorum, ut ex Simone Grunovio apparet, contineant. *Vid. infra part. 3. c. 132.*
- (b) Ne mireris itaque, Lector benevole, si in sequentibus nos contra Dusburgensis relationem quædam ex antiquis Privilegiis restituere tentabimus.

(a) *Præfatio ad Institutionem Ordinis
Domus Teutonice.*

SAPientia ædificavit sibi domum, excidit columpnas septem, *Prov. 9, 1.*
Sicut hæc verba fuerunt Salomonis, qui filium Dei appellat Sapientiam Patris, juxta illud Apostoli: Ipsis autem vocatis, Ju- *1. Cor. 1, 24.*

II PRÆFATIO AD INSTITUTION. ORDINIS DOMUS TEUTON.

Pf. 103. 6.

Syr. 6, 23.

Joan. 6, 36.

dæis atqve Græcis prædicamus Christum, Dei virtutem & Dei sapientiam: & in Psalmo Omnia in sapientia fecisti, i. e. in filio, qui assumptâ humanâ naturâ ædificavit in morte sua sibi ad gloriam & honorem domum Ecclesiæ militantis & excidit columnas septem, id est septem Sacramenta, quibus sustentatur. Possunt tamen esse, Verba S. Matris Ecclesiæ, quæ Dominum Papam Cælestinum III. vocat Sapientiam, quia in terris Dei filii vicem gerit, secundum illud Ecclesiastici: Sapientia doctrinæ secundum nomen ejus. Ad ipsum enim confluit Ecclesia universalis audire & videre suam doctrinam, ut regina Saba sapientiam Salomonis. Hic Dominus Papa Cælestinus III. ædificavit i. e. instituit & confirmavit sibi & S. Ecclesiæ ad utilitatem domum fidelibus Sacræ Religionis Hospitalis S. Mariæ Teutonicorum Hierosolymitani, & excidit columnas septem i. e. septem fratres (b) Commendatores seu Præceptores Provinciales, scilicet Livoniæ, Pruschia, Teutoniæ, Austria, Appuliæ, Romania & Armeniæ, quibus fratres dicti Ordinis, tanquam materialis domus innixa columpnis, ædificati sustentantur, ut sic Magister generalis & Capitulum sint fundamentum hujus domus: Provinciales Commendatores seu Præceptores columnæ: alii fratres, super ædificati. Et sic Dominus Papa propriè assimilatur viro sapienti, qui ædificavit domum suam super Petram, & potest dicere: Ego confirmavi columnas ejus. Sed quia scriptum est: Spiritus est qui vivificat, caro autem non prodest quicquam: Ided pönendæ sunt septem columnæ aliæ spirituales in hac domo, quarum tres scil. Obedientia, Paupertas, castitas, disciplinam ordinent Regularem: & quatuor aliæ videlicet: Contritio, Confessio, Satisfactio & Charitas, quæ operit multitudinem Peccatorum, omnem sanctæ observantiæ negligentiam in torpentibus Zelo rectitudinis disciplinent. Hæ sunt columnæ Spirituales, excisæ manu sapientiæ in domo hac Sacræ Reli-

Religionis, quam ædificavit Dominus Papa. Ita quod si pluvia avaritiæ descendat, & flumina luxuriæ veniant, & venti superbiæ flent, & irruant in illam, non possit cadere; Fundata est enim super firmam petram, petra autem est Christus.

ANIMADVERSIONES.

- (a) Hæc Præfatio in Jeroschino Interprete Dusburgii non reperitur in Germanicum conversa; dubium itaque est an Dusburgium ipsum agnoscat auctorem.
- (b) Primis temporibus MAGISTRI PROVINCIÆ dicti sunt PROVISORES terrarum, ut & PROVINCIARUM COMMENDATORES. Sic in Privilegio Anno 1232. Culmensibus & Thoruniensibus dato Hermanus à Balke appellatur Provisor Prussiæ: In subscriptione quoque privilegii ejusdem, Ludovicus dicitur Prussiæ Provisor. In ipso denique Privilegio num. XXXVI. Provisor terræ injungitur, ut decreta Ordinis præcaveat; Postea verò dici cœperunt Magistri Provinciæ (Landmeister) relicto Provisorum titulo singulorum arcium Curatoribus, qui Pfleger dicebantur. Conferatur Simon Grunovius *Tract. 6. fol. 7. 8. a.*

INCIPIT PRIMA PARS

CAPUT I.

De Origine Domus Teutonicæ.

Incipit quarta pars libri: De incidentibus. **I**N nomine Domini Amen. Anno (a) *Anno 1190.* incarnationis ejusdem MCXC. tempore illo, quando Civitas Acconensis esset

Hoc tempore quo ortum & originem habuit Ordo domus Teutonicæ, scilicet Anno Domini MCXC. Cælestinus Papa III. &

à Christianis obsessa & Divinâ favente gratiâ de manibus infidelium recuperata, fuerunt in Exercitu Christianorum quidam devoti homines de Bremensi & Lubecensi Civitatibus, qui tanquam Viri misericordiæ oculis compassionum incidentes in diversos & intoler-

Hec

B 3.

lera-